





100  
7

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16





*XIII*  
C. D.

DE

FEUDIFICATIONE

IN

FRAUDEM CREDITORUM

FACTA

PRESIDE

PETRO MÜLLERO, Jcto

Pandectar. Profefs. Ordin.

ad d. Maj. 1687.

disputabit

AUTOR

JOHANNES ELIAS Sieboldt /

Francohusanus.

---

Jenæ, Literis Bauhoferianis.



VIRIS

*Pra-Nobilissimo, Consultissimo atque Ex-  
cellentissimo*

DN. JUSTO HEINRICO  
BÖTTIGERO,

ICto celeberrimo & Confiliario  
Schwartzburgico Aulico & Consistoriali gra-  
visimo, Patrono meo Magno

*Ut &  
Nobilissimo, Amplissimo & Consul-  
tissimo*

DN. JUSTO NICOLAO  
SCHMELTZERO,

I. U. D. & Caufarum Patrono apud  
Francohusanos clarissimo Patrono ac Avun-  
culo meo plurimum venerando

*Exercitium hocce academicum*

In observantia debita ac gratia mentis indicium, ul-  
terioreque mei ac meorum studiorum commenda-  
tionem perofficiose consecro & offero

AUTOR.





## PROOEMIUM.



um publicum, *Lector candide*, eruditionis legalis specimen edere constituerem, diversæ in jure occurrentes materiæ in diversum etiam rapiabant animum meum, quamnam præ reliquis eligerem. Placuit mihi tandem materiam FEUDIFICATIONIS IN FRAUDEM CREDITORUM, in formam disputationis redigere, non quod eam approbarem, sed potius reprobarem, & quidem non pro materiæ dignitate, sed pro ingenii mei qualitate in eam disquirerem. Si vero Lectoris spei non satisfecero, ignoscat mihi summopere peto; omnium enim habere memoriam & in nullo peccare potius divinitatis est, quam humanitatis dicitur in *constit. tanta §. 14. de confirm. Digest.* Cum vero ordo in omni re adeò necessarius est, ut equum cauda frænare dicatur, qui sine ordine procedit. Igitur constabit ordo nostræ disputationis tribus capitibus. In (1) agetur de etymologia feudificationis, fraudis, creditorum, nec non de personis, quæ allodium fraudulosè feudificare possunt, & quæ nequeunt. In (2) exhibebuntur res, quæ in fraudem creditorum feudificantur. In (3) ac ultimo tractabitur de actione re-



2.  
vocatoria. Sit ergò in nomine Domini nostri Jesu  
Christi, cujus ductu ad omnes actus omniaque  
consilia feliciter progredimur *l. 2. C. de offic. Præs.  
Prætor. African.*

## CAPUT I.

agens  
DE

# ETYMOLOGIA FEUDIFICA- TIONIS, FRAUDIS, CREDITORUM, DE- SCRIPTIONE NEC NON PERSONIS, FRAUDULOSE FEUDIFICANTIBUS.

### SUMMARI A.

1. *Etymologia feudificationis. Significatio feudi & allodii ejusque deri-  
vatio.*
2. *Feudi derivatio. Feudi oblatis definitio.*
3. *Fraudis etymo-  
logia ac variae ejus significationes.*
4. *Etymologia creditoris & illius  
diverse acceptiones.*
5. *Descriptio feudificationis.*
6. *Persona frau-  
dulose feudificantes. Maritus pradium feudale feudificare nequit.*
7. *Filiusfamilias an feudificare possit.*
8. *Civitatibus etiam feudifica-  
tio conceditur.*
9. *Persona fraudulose non feudificantes.*
10. *Minor,  
omissis in alienatione requisitis, feudificare nequit.*
11. *An Dominus  
emphyteuseos suam proprietatem feudificare possit? Emphyteuta su-  
um jus alteri in feudum offerre nequit.*
12. *Prodigo feudificatio de-  
negatur.*

Th. 1.

**V**irorum præclarorum monita  
observanti mihi, initium ab Etymologia  
sumere placet: Verba enim, si non pro-  
bè cognoscantur, res facile intelligi nequeunt, *arg.  
l. 1. in pr. ff. de f. & j.* Dicitur autem feudificatio  
à feu-



3.  
à feudo & facio & denotat ex allodio feudi-factio-  
nem. Ut res igitur clarius cognoscatur, imprimis  
sciendum, quid allodium & quid feudum sit & un-  
de derivetur. Circa vocabulum allodii variae oc-  
currunt derivationes, inter quas Johannis Loccen.  
*explic. peregrin. diction. jur.* cum Dn. Struvio *Syn-  
tagm. fur. feud. c. 2. a. II.* mihi arripere placet, qui  
dicit: quod allodium sit vox Gotha-Saxonica *All*  
ab omni & *odhe* vel *ôdhe* possessione; quia omni-  
moda proprietas vel possessio alicujus propria. A-  
liter sentit Molinæus *in consuetud. Paris. l. I. §. 46.*  
*num. 1.* Allodium dicitur quasi alaudium, ex eo,  
quod qui prædia eo jure habent, nullum habeant  
autorem vel superiorem Dominum, quem laudare  
possint vel teneantur.

Th. 2.

Allodii voce explicata, transeamus nunc ad feu-  
di enodationem, quod etiam variis derivationibus  
implicatum est, è quibus tamen hanc appren-  
dam: Feudum nimirum à fidelitate sive fide appel-  
lari, 2. *F. 3. in fin.* Dn. Struv. *Syntagm. fur. feud.*  
*c. 2. art. 1.* Carpzov. *disp. feud. I. th. 24.* In fidelita-  
te enim, tanquam in forma essentiali & substantia-  
li, consistit feudum, Molinæus *in consuetud. Pa-  
ris. l. I. n. 53.* Inde vasalli fideles nominantur 1. *F. 5.*  
Ut nunc constet quid feudum sit, scil. oblatum seu

A 3

re-



4.  
recognitum, de quo hic agitur, descriptio ejus no-  
tanda. Et quidem D. Tabor *Ichnograph. feud. p. 1.*  
*th. 7.* illud definit: Esse tale, quod à vasallo de pa-  
trimonio suo oblatum est Domino ea lege, ut ipsi  
offerenti vicissim in feudum concedatur.

Fraudem quod attinet dicitur illa à ferendo, de-  
ceptio, quæ alicui infertur & significat propriè cul-  
pam, machinationem, calliditatem, peccatum, de-  
lictum culpabile, sive poenam habeat præstitutam  
sive nullam, atque ita poenæ præparationem, seu  
causam denotat *l. 131. d. V. S. l. 29. l. 30. de LL.*  
*l. f. ff. si famil. furt. l. 23. §. 2. ff. de adul. edict.*  
Fraus inest dolo *l. 7. §. 10. ff. de pact.* Interdum  
dolus & fraus ut synonyma sumuntur. Cagnol. *ad*  
*l. 79. de R. J.*

Th. 4.  
Significatio nominis creditorum ut nobis sit  
cognita sciendum, quod creditor dicatur à creden-  
do, quod est fidem alterius sequi. Quod vocabu-  
lum vel latè vel strictè accipitur, priori modo non  
tantùm hi creditores appellantur, qui pecuniam  
crediderunt, sed & omnes quibus aliqua ex causa  
debetur, videri potest *l. 10. II. 12. de V. S.* Poste-  
riori modo illi solùm creditores dicuntur, qui  
mutuo dederunt & similiter debitores sunt, qui  
mu-



<sup>5.</sup>  
mutuam pecuniam acceperunt; *l. 11. C. si cert. pe-*  
*tat. l. 5. §. 3. de O. & A. Gædd. ad l. 12. de V. S.*  
*num. 2.*

*Th. 5.*  
Prælibatis hisce generalibus, ad Descriptio-  
nem nos accingimus; Describitur autem hîc feu-  
dificatio, quod sit actus, quo debitor rem allo-  
dialem alteri in feudum offert ad decipiendum  
Creditores, seu ut his exinde minus satisfieri queat.

*Th. 6.*  
Venimus nunc ad *personas*, quæ fraudulose  
rem allodiam alteri in feudum offerunt; U-  
bi primo consideramus *personas*, quæ frau-  
dis sunt participes & alienare possunt; deinde tra-  
ctabimus de illis, quæ fraudis non sunt capa-  
ces nec alienare valent. Omnes fraudis possunt ar-  
gui, quæ usum rationis habent, & quidem si tales do-  
mini sunt rerum suarum, alienare possunt, quia qui-  
libet est rei suæ moderator & arbiter *l. 21. C. mand.*  
Sed hæc regula non est perpetua; Nam maritus est  
dominus prædii dotalis, tamen prohibetur illud  
alienare, de qua prohibitione speciales tituli repe-  
riuntur *in ff. & C. de fundo dot.* Marito omnis a-  
lienatio prædii dotalis interdicitur *l. un. §. 15. C. de*  
*re uxor. act. pr. f. quibus alienare licet vel non. ad eò*  
ut alienatio ab ipso facta, ipso jure nulla sit; nec  
ullum



6.  
ullum jus transferat in accipientem *l. 42. ff. de u-*  
*surpat. Et usucap. vid. Dn. Præses, Jurispr. elem.*  
*disput. 22. th. 6.* Unde si maritus prædium dotale  
alteri in feudum offert, feudificatio ipso jure nulla  
est, quia feudificatio species est alienationis Carp-  
zov. 1. R. 83. num. 13.

Th. 7.

An filiusfamilias feudificare possit, quæ-  
rimus? Putamus hic ut in aliis alienationibus,  
distinctionem peculiarum observandam esse; Cum  
in peculio castrensi & quasi castrensi liberam admi-  
nistrandi & alienandi potestatem habeat, *l. 15. §. 1. ff.*  
*de pecul. l. 2. ad Sctum Macedon. l. 6. pr. C. de*  
*bon. qua liber. Nov. 123. c. 19.* ideò de illo feudifi-  
care poterit. Idem est dicendum de peculio ad-  
ventitio extraordinario, *arg. Nov. 118. c. 1.* Profe-  
ctitium peculium, cum totum ad patrem perti-  
neat, §. 1. *f. per quas person.* bona ad illud  
pertinentia à filio in feudum per oblationem com-  
mutari nequeunt. Filiusfamilias si bona adventitia  
regularia alienare vult, necesse est patris consen-  
sum adhibeat, *l. ult. §. 5. vers. fil. fam. C. de bon.*  
*qua liber.* Hinc sequitur, si is ex hisce bonis ad-  
ventitiis feudificare velit, quod patris consensum  
adhibere teneatur.

Th. 8.



<sup>7.</sup>  
Th. 8.

Cum non solum singulis personis concessa sit facultas, de rebus suis disponendi, sed etiam eadem gaudeant potestate universitates, civitates scilicet aliarumque similes. Propterea absolutis iis, accedimus jam ad civitates, de quibus notum est, quod eas alienare possint, modo in alienatione rerum ad civitates pertinentium requisita & solennitates observentur, quae leges & statuta cujusvis loci observari praecipiunt. Quia ergo potestas alienandi illis est concessa, possunt quoque res universitatum in feudum dare & alteri offerre. *Goedd. de reb. credit. c. 2. n. 15. Et seqq. Mev. ad jus Lubec. p. 2. l. 3. n. 28. modò oblatio fiat sine fraude.*

Th. 9.

Postquam de personis, quae fraudis capaces sunt & alienare possunt, egimus, incidit quaestio, quænam personæ non sint participes fraudis & ad alienationem inhabiles? Ad enodationem hujus quaestionis, facile est respondendum; Nam illæ, quæ carent intellectu, nec fraudis argui, neque alienare posse notorium est. Quid igitur dicendum de impubere & furioso, an & illi fraudulentè feudificare possint. Circa hanc quaestionem quædam distinctiones occurrunt. Et quidem impuberem quod attinet, triplicis ille conditionis est,

B

vel



8.  
vel infans, vel infantia proximus, vel pubertati proximus. Infans cum non multum differat a furioso, nullumque habeat intellectum §. 9. *f. de inutil. stipul.* fraudulose feudificare non poterit. Idem dicendum de infantia proximo §. 9. *f. de inutil. stipul.* Pubertati vero proximus autoritate tutoris & in alienatione alias necessariis adhibitis requisitis, feudificare potest. Quoad furiosum Distinguedum est Num sapiat dilucidis intervallis, Dilucida intervalla habens, quoniam eo tempore, quo sana est mentis, omnia utiliter agere potest, ideo ipsi feudificatio non denegatur, modo non tendat in fraudem creditorum. Ille vero, qui nulla dilucida habet intervalla, nihil valide potest agere, quia omni intellectu & voluntate destituitur, ita nec feudificare potest, imo traditio a furioso facta quarumcunque rerum in jure nulla est propter defectum, qui in ea occurrit vid. D. Fromman. *d. jur. furios. p. mih. 51 th. 13. singul.* Th. 10.

Minor bona immobilia sine curatore & decreto Magistratus alienare nequit, l. 4. l. 6. l. 15. l. 16. *Et tot. tit. C. de pred. Et alius reb. minor. sine decret. non alien.* in tantum ut ejusmodi alienatio ipso jure nulla sit, Carpzov. 5. R. 69. num. 9. Sic omissis in alienatione praedictis requisitis feudificatio bonorum immobilium a minore facta, quoque nul-



nullius est momenti. Quod de minore dictum est,  
illud & mulieribus applicari potest, in foro scilicet  
Saxonico, quia ibidem minoribus comparantur.

Th. II.

An dominus emphyteuseos suam proprietatem  
feudificare possit? quæritur. Hic cum polleat po-  
testate alienandi proprietatem, vid. Carpzov. p. 2.  
cap. 39. d. 10. dubium non est, quin etiam feudifi-  
care possit, modo dolus absit. Emphyteuta verò  
ab omnibus alienationibus domini translativis,  
excepta venditione abstinere debet, nisi poenam  
privationis juris sui incurrere velit. vid. Andr. Rei-  
ter. tract. de alien. p. 2. c. 12. sect. 9. n. 1. Hinc inferen-  
dum, illum suum jus alteri in feudum offerre non  
posse.

Th. 12.

Prodigus consideratur vel ethicè vel civiliter.  
Civiliter talis quatenus se obligat vel alienat furio-  
so, comparatur, vid. Bronchorst, ad l. 40. de R. J.  
Ist denique furiosus propter defectum iudicii natura-  
lis omni caret intellectu l. 1. §. 9. ff. quib. caus. eat.  
Ita prodigus quoad bona sua mentis est abaliena-  
ta & instar furiosi ea administrat. Sicuti nunc fu-  
rioso omnis alienatio interdicitur, ita etiam pro-  
digus nullo modo res alienare nec feudificare po-  
test.

B 2 CAP. II.

III



10.  
CAP. II.  
DE  
REBUS QUÆ IN FRAUDEM  
CREDITORUM FEUDIFICANTUR.  
SUMMARIA.

1. *Omnis res sive mobilis sit sive immobilis, sive corporalis sive incorporalis, feudificari potest. Item omnia bona, tam presentia quam futura. Quaedam res propterea feudificari nequeunt, vel quod in totum commerciis hominum sint exempta, vel quaedam ob singularem quandam rationem.* 2. *Res litigiosa moribus hodiernis feudificari potest, secus de jure stricto.* 3. *Rerum dotalium feudificatio quomodo fieri possit.* 4. *Rei sub additione in diem emptæ feudificatio certo respectu subsistit.* 5. *Res oppignorata in feudum offerri potest.* 6. *Pecunia numerata in feudum quoque commutari potest.* 7. *Quid de omni pecunia sub nomine Baarschafft/dicendum.* 8. *Pecunia semel feudalis facta transmutari nequit.* 9. *Quid de usucapione dicendum.*

Th. I.

**P**ertractatis iis, quæ de personis feudificantibus, pro instituti nostri ratione, dicenda erant, progressum nostrum jam ad res facimus. Inprimis autem generaliter est sciendum, omnem rem, sive mobilis sive immobilis ea sit, sive corporalis sive incorporalis, alienari non prohibitam, feudificari posse. Item omnia bona sua & præsentia & futura (salva tamen liberis legitima. *vid. tot. tit. Cod. de in-offic. donat. Rosenthal. d. feud. c. 68. n. 29.*) quis feudalia efficere potest *arg. l. 35. §. 4. 5. C. de donat.* Prohibentur autem quædam res alienari, vel quod  
in



ii.  
in totum commerciis hominum sint exemptæ, vel  
quòd quædam ob singularem quandam rationem  
eximantur. In totum commerciis inter alias exemptæ  
sunt res sacræ & religiosæ, hinc illæ omnes feudificari  
nequeunt, nisi dicere velimus, si universitas aliqua,  
veluti civitas feudificetur, res quoque sacras & re-  
ligiosas unà simul feudificari. Ob quandam singu-  
larem rationem hominum commerciis exemptæ  
sunt res, quæ vel per actum ultimæ voluntatis,  
qualis est fideicommissum, vel per actus inter vi-  
vos & conventiones, vel etiam ob singularem re-  
rum naturam ita sunt qualificatæ, ut domino po-  
testas eas alienandi adempta sit. Dn. Struv. *Syn-  
tagm. jur. feud. c. 6. art. 8.*

Th. 2.

De re litigiosa sciendum est, eam alienari non  
posse & quidem Jure Digest: *l. 1. §. 1. de litigios.*  
*l. 1. §. f. qua res pignor. vel hypothec.* ejus aliena-  
tio non ipso jure, sed ope demum exceptionis, pro  
nulla habetur. Mutatum autem hoc est Jure *Codi-  
cis in l. 2. §. f. C. de litigios.* Inde igitur facilè est  
concludendum, quod etiam feudificatio rei litigio-  
sæ non procedat. Moribus tamen hodiernis, cum  
res litigiosæ, vendi, permutari, obligari, vel alio  
modo (salvo Jure tertii) transferri possint Dn.  
Struv. *Exerc. XLVI. th. 51.* Ideò secundum il-

B 3

los



Los mores ejusmodi res certo respectu etiam feudi-  
ficari queunt; Resoluto enim Jure dantis resolvi-  
tur Jus accipientis. *l. ii. §. i. ff. quemadm. servit.  
admitt. 2. Feud. 8. pr. vers. quid ergo.*

## Th. 3.

Res dotales duplici modo in dotem dantur vel  
æstimatæ vel inæstimatæ. *l. 30. C. de Jur. dot. Æ-*  
stimatio autem fit vel taxationis vel venditionis gra-  
tia. vid. Eckold, *in comment. §. 6. de Jur. dot.* Vendi-  
tionis gratia, si res dotalis est æstimata, maritus ple-  
num acquirit dominium *l. 10. pr. §. 5. l. 16. l. 17. l. 18. de  
Jur. dot. l. 5. l. 10. C. eod. l. un. §. 9. C. de rei u-*  
*xor. act.* indeque pro arbitrio eam alienare ac feu-  
dificare potest. Quod negandum est, si æstima-  
tio tantum taxationis gratia, vel planè nulla fa-  
cta est.

## Th. 4.

De re, quæ sub addictione in diem est empta,  
quæritur an & illa feudificari possit? Licet penden-  
te conditione res in eo statu apud emptorem sit  
ac si abire possit, interim tamen habebitur perin-  
de, ac si plenè res ejus esset, quia eam alteri po-  
test vendere & si res perierit, ad eum periculum  
pertinet *l. 2. §. 1. de in diem addict.* Meliori ta-  
men allata conditione venditio resolvitur, perin-  
de ac si nunquam facta esset: Nam resoluto jure dan-



<sup>13.</sup>  
dantis resolvitur jus accipientis, *l. 31. ff. de pignor.*  
Inde sequitur quicque, quod ejusmodi rei feudifi-  
catio eodem respectu efficax sit.

Th. 5.

Res oppignorata, quamvis ex patrimonio abis-  
se videatur, tamen quoad alienandi potestatem de-  
bitori illud nihil officit, sed perinde est, ac si ejus  
conditionis non esset: ita ut non obstante pignoris  
nexu, debitor nihilominus alienare possit, quod  
probat per *l. 9. C. de pignor. & l. 12. C. de di-  
stract. pignor.* Sed res transit cum onere, *d. l. 12. &  
l. 18. §. 2. ff. de pignor. action. l. 10. de remission.  
pignor.* His præmissis, quæritur, an hujus rei feu-  
dificatio de jure subsistat. Quod affirmatur, modo  
creditor non defraudetur.

Th. 6.

Non modo bona immobilia, sed & pecunia nu-  
merata in feudum commutari potest. Notandum  
verò est pecuniæ vocem triplici modo sumi posse.  
Primò latè, & hoc modo accipitur de omni eo,  
quod quis in patrimonio habet, *l. 178. pr. ff. de V.  
S. l. 222. ff. eod. add. Can. 6. C. 1. q. 3.* Ubi dici-  
tur; totum, quicquid homines possident in terra,  
quorum domini sunt, pecunia vocatur, servus sit,  
vas, ager, arbor, pecus, quicquid horum est pe-  
cu-



14.

unia dicitur. Secundo strictè, de rebus, quæ constant pondere, numero, mensura, *l. 30. pr. ff. de legat. 1.* Tertio strictius de pecunia numerata *l. 88. ff. de V. S.* Pecuniam autem hac ultima significatione in feudum dari posse, patet ex *Constit. Elect. 30. in verb. fin.* Und wann das Geld durch den Lehnherrn zu Lehn gemacht; So soll es vor Lehn gesprochen werden *add. Carpz. 1. R. 83. n. 5.* Magnif. Dn. Lyncker *disp. d. feudo pecuniario per tot.*

Th. 7.

Quæritur quid dicendum sit, si quis omnem pecuniam sub nomine Baarschafft cuidam in feudum offert, an etiam nomina & debita intelligantur? Siquidem oblatio facta est de omnibus bonis acquisitis & acquirendis, non dubito, quin etiam nomina comprehendantur; Nomina enim ad pecuniam acquirendam certo respectu, & alia ratione ad acquisitam spectant *l. 37. §. 1. ff. de usu & fructu legat.* Pecunia foeneratitia, werdende Baarschafft / regulariter sub nomine Baarschafft non comprehenditur *arg. l. 69. §. 1. de legat. 3.* Finckelth. *c. 1. n. 22. p. 142.* Hoc tamen non obstante, eam nihilominus in feudo pecuniario oblato sub nomine der Baarschafft contineri, dicendum est, Magnif. Dn. Lyncker. *Disp. de feudo pecuniario §. 23. in fin.* Th. 8.



## Th. 8.

Quia tractavimus de pecunia in feudum transmutata in fraudem creditorum, lubet hîc adjicere quæstionem: Num pecunia, quæ semel feudalis facta, iterum fieri queat allodialis? Videtur dicendum pecuniam semel in feudum transmutatam ad pristinam naturam redigi non posse, nisi illi, quorum interest, consentiant & dominus feudi qualitatem feudalem ipsi adimat, Dn. Struv. *S. 7. F. c. 4. artic. 7. n. 5.* Si verò dominus propria autoritate ex pecunia feudali facit allodiam, ipsum factum nullum est, quia tendit in præjudicium successorum feudaliū, qui in illa pecunia jus quæsitum habent. Ideò ipsi non licebit dominium suum directum abdicare & in vasallum transferre. Neque etiam vasallis inter se pacisci licet, ut illa pecunia certo tempore aut casu iterum convertatur in allodiam, si dominus non consentiat & feudalem qualitatem tollat, Berlich. *p. 1. decis. 92. per tot.* ubi *num. 3.* etiam Responso JCtorum Lipsiensium de anno 1620. hoc confirmat.

## Th. 9.

Quid dicendum de usucapione? v. gr. Quidam debitor, nomine Titius, habet fundum liberum, hunc Sempronius tanquam dominus directus sibi vindicat ac si esset feudalis, illum usucapi patitur Titius, quasi vasallus optimè sciens, Sempronium

C

ni



nihil juris in illo habere; propter quam verò usucapionem Titius totum debitum suo creditori solvere non potest, cum alias, si prædictum fundum vendidisset, vel in solutum creditori dedisset, se ab obligatione potuisset liberare & integrum debitum solvere, an hæc usucapio sit infirmenda? Affirmatur, quia Edicti verba sunt generalia & in se continent omnem omninò in fraudem creditorum factam alienationem, *l. 1. §. 2. ff. quæ in fraud. credit. facta sunt ut restit.* generaliter autem dicta generaliter etiam sunt accipienda, & qui omne dicit, nihil excludit *l. 68. ff. de legat. 3.* Alienationis verò verbum etiam usucapionem continere expressè patet ex *l. 28. ff. pr. ff. de V. S.* Ubi hæc reperiuntur verba: vix est, ut non videatur alienare, qui patitur usucapi. Jus igitur quæsitum, quod creditori ante competebat, per hanc fraudulentam usucapionem non tollitur, aliàs contra æquitatem naturalem uni suus dolus lucrum, alteri autem damnum afferret, *l. 1. §. 1. ff. de dol. mal. Et met. except.* Qui verò ex aliena jactura lucrum quærit, dolum malum facere videtur *l. 17. §. 4. in fin. ff. de instit. action.* Conferatur *l. 38. ff. de rei vindic.* ubi dicitur: malitiis indulgendum non est; quæ verba quoque reperiuntur in *cap. 23. X. de Rescript.*

## CAP. III.



17.  
CAP. III. & Ultimum  
DE  
ACTIONE QVA REVOCA-  
TUR FEUDIFICATIO IN FRAUDEM CRE-  
DITORUM FACTA.

SUMMARIA.

1. Actio quâ in fraudem creditorum alienata revocantur Pauliana dicitur à Pratore Paulo. Hac actione revocantur in fraudem alienata. Omnis alienatio fraudulosa hoc remedio revocari potest. Exemplificatur hoc in mutatione bonorum allodialium in feudalia. 2. Ex hac actione restitutio fit in pristinum statum. Requisita hujus actionis. In causis onerosis, ut restitutio locum habeat, requiritur fraus tam alienantis, quam accipientis; In lucrativis solus alienantis fraus sufficit. 3. Actio revocatoria est vel perpetua vel annalis. Facta alienatione titulo oneroso, perpetua, sed lucrativo, annalis actio datur. 4. Fraus in hac actione etiam indirectè probatur. Quid de feudificatione omnium bonorum? Quid si pro parte saltem bona ad satisfactionem creditorum sufficiant? 5. Actio hæc non solum creditori, sed & ejus heredibus competit. Creditori in alienationem consentienti denegatur actio. Aliud dicendum de sciente tantum. Non solum creditoribus, quibus purè, sed & quibus sub conditione & in diem debetur illa actio comparata est. Nomine creditoris legatarius quoque venit. 6. Contra quas personas actio hæc datur. 7. Datur & actio in accipientis successores tam universales, quam singulares. Actio pauliana datur contra simultaneè investitos. 8. In hac actione non solum ipsam rem restitui oportet, sed etiam fructus. Omnia in pristinum statum hac actione revocantur.

Th. I.

**R**estat jam ut de actione quâ feudificatio in fraudem creditorum facta revocatur, aliquid

C 2

di-



dicamus. Dicitur autem hæc actio pauliana à Prætorè Paulo seu secundùm Oldendorp. *in class. 1. Action. c. 6. art. 1.* opinionem dicenda paulina. Quâ consulitur Creditoribus præcipuè chirographariis revocando ea, quæ in fraudem creditorum gesta & alienata sunt. Quodcunque igitur fraudis causa factum est, qualecunque fuerit, sive rem alienavit, sive acceptilatione, vel pacto aliquem liberavit, sive pignora liberavit, vel quem alium in fraudem Creditorum præposuit, vel ei præbuit exceptionem, sive se obligavit fraudandorum Creditorum causa, sive numeravit pecuniam, vel quodcunque aliud fecit in fraudem Creditorum debitor, hæc actione revocabitur. *l. 1. §. ait Prat. l. 2. l. 3. 4. & 5. ff. qua in fraud. cred. vid. Arnold. ab Hærl. de act. 47. n. 3.* Ita & si res allodialis in feudalem sit conversa. *Carpz. 1. Resp. 83. n. 10.* Pro quâ opinione sententiam tulit Senatus Appellat. Elect. Saxon. Term. Trin. Anno 1622. in causa credit. N. N. Item Scabin. Lips. Mens. Jul. Anno 1628. in causa Hansen Schubart's C. Peter Seiffert's Gläubiger zu Crimmitschau: Daraus so viel zubefinden / daß sich Beflagter mit der angezogenen Belehnung und gesamter Hand nicht zu behelffen / sondern es wird dieselbige gestalten Sachen nach / hintwiederumb billig cashiret / und von des verstorbenen Schubart's Vermögen / so weit



19.

weit dasselbige zureichet / Klägere ihre Forderung / und nachge-  
stalt ihrer erlangten priorität einer vor dem andern befrie-  
diget. B. R. W.

Th. 2.

Et ex hâc ratione restitutio fieri debet in pristinum sta-  
tum, sive corpora fuerunt, sive obligationes. Hærf. cit. act. n.  
10. Ut hæc actio locum habeat autem requiritur (1) Fraus tam  
alienantis quam accipientis, & hoc verum est in causis one-  
rosis, non verò in lucrativis, in his enim sufficit fraus solius  
alienantis, ut possit revocari alienatum. *l. penult. Cod. de  
rev. his quæ in fraud. Credit.* (2) ut Credito-  
res missi sint ex sententiâ Judicis in possessionem bonorum  
debitoris. Hærf. act. cit. n. 9. Et denique (3) ut debitor  
prius sit, excussus *l. 1. C. de rev. his quæ in fraud. Credit.*  
Dn. Struv. *Ex. XLIV. th. 35.*

Th. 3.

Actio hæc revocatoria est vel perpetua vel annalis: Hæc  
competit, quando alienatio facta est titulo oneroso: Illa  
datur factâ alienatione ex causâ lucrativâ. *l. 10. §. 24. ff. quæ  
in fraud. credit.* Schwendend. *de act. c. 2. m. 1. a. 18. §. 5.*

Th. 4.

Probatur fraus alienantis in hac actione etiam indirecte  
per conjecturas & indicia, cum dolus in animo consistat, *l. 6.  
C. de dolo mal.* Urgentissimum doli indicium præbet uni-  
versalis bonorum feudificatio, à qua debitor prorsus nihil  
exceperat, *arg. l. 17. §. 1. ff. quæ in fraud. credit.* Quid  
C 3



20.  
si pro parte saltem bona, quæ supersunt ad creditorum satisfactionem sufficient? Non in totum, sed pro parte feudificatio revocatur, *arg. §. 3. f. quib. ex caus. manumitt. non licet.* partis autem præcipuè, si estejusdem qualitatis, cuius totum, eadem est ratio, quæ est totius, *l. 76. ff. de rei vindic.*

Th. 5.

Hæc actio non solum creditori, sed & heredibus ejus cæterisque successoribus competit, *l. 10. §. fin. ff. quæ in fraud. credit.* Quid dicendum, si quis, consentientibus creditoribus aliquid à fraudatore emerit, an nihilominus hæc actio locum habeat? Negatur, quia nemo videtur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt, *l. 6. §. 9. ff. quæ in fraud. credit.* Creditori verò, qui tantum alienari scivit, actio non denegatur, *D. Struv. disp. de paul. action. §. 17. in fin.* Nec autem creditoribus solum iis, quibus pure debetur actio hæc datur, sed etiam creditoribus in diem, *l. 213. de V. S. & subconditione, l. 10. eod.* Quando enim vox creditoris latè accipitur, etiam inter creditores legatarii & fideicommissarii numerandi sunt, *l. 1. C. qui manumitt. non possunt.* His præmissis facilè colligi potest, feudificationem consentientibus creditoribus in ipsorum fraudem factam, ob supra allegatam rationem, non esse rescindendam. Aliud dicendum est de creditoribus tantum feudificationem scientibus: Nam uti scientia nuda alienationis fraudulosæ creditori nullum præjudicium affert, ita nec illi scientia fraudulosæ feudificationis obstabit, quo minus feudificatio rescindatur.  
Et



ubi enim est eadem ratio, ibi idem est jus, *l. 32. pr. ff. ad L. Aquil. l. 108. pr. de verb. oblig.*

Th. 6.

Veniamus ergò ad illos, contra quos hæc actio institui possit. Datur autem in eum, in quem à debitore aliquid fraudulenter translatum est. Ille aut participat de fraude aut illius est ignarus. Si fraudis est particeps, hac actione tenebitur, quocunque titulo à debitore, sive oneroso, sive lucrativo, quid acceperit, *l. 1. pr. ff. h. t. l. 10. §. 2. 3. 4. eod.* Qui verò tantum scit aliquem creditores habere & absque dolo cum illo contrahit, hac actione non tenetur, *l. 10. §. 4.* Quid si forte tutor pupilli scivit, pupillus verò ignoravit, an tutoris scientia pupillo noceat, & huic actioni locus sit? Quod affirmatur per *l. 10. §. 5. ff. h. t.* Idem in curatoris scientia quoad minores & furiosos asserendum est per *eund. §. quatenus scilicet aliquid ad illos pervenit. l. 10. §. 5. ff. d. t.* Et sic vice versa. *l. 6. §. 10. h. t.*

Th. 7.

Daturne hæc actio contra accipientis successores? Uti que tam adversus universales, quàm singulares. In universales datur in tantum, quantum ad illos pervenit, *l. 10. §. fin. l. 11. ff. h. t.* Quod singulares attinet, distingvendum est: aut emptor posterior fraudis particeps fuit, & tunc datur; aut in bona fide fuit, & non datur actio, etiamsi rem emerit à priori emptore sciente debitorem solvendo non esse. Primus autem emptor conveniri potest, ut solidum rei pretium, quod accepit, restituat, *l. 9. h. t.* Successio  
feu-



22.

feudalis, cum plerumque à DD. ad successionem singularem referatur, commodè dici potest, quod actio revocatoria etiam detur contra simultaneè investitos ejus, qui allodium feudificari curavit, Carpz. *l. 1. R. 83. n. 13.*

Th. 8.

Per hanc actionem non solum ipsam rem alienatam restitui oportet, sed etiam fructus, qui alienationis tempore terræ cohærebant, quia in bonis defraudatoris fuerunt; Similiter illi, qui post inchoatum iudicium percepti sunt, restitutioni subjacent, *l. ult. ff. h. t.* Fructus autem medio tempore percepti in restitutionem non veniunt, quia in bonis debitoris nunquam fuerunt, D. Struv. *S. f. C. ex. 44. th. 74.* & sic alienati non sunt Brunnem. *in repetit. paratit. Welsenbec. q. 18.* Quomodo autem cum fructibus percipiendis comparatum sit, videri potest *l. 10. §. 20. alled. tit.* Actiones etiam revocari posse patet ex *l. 14. ff. cit. tit.* nec non obligationem *l. 10. §. 22. ibid.* nam possessor rem cum sua causa restituere jubetur *l. 10. §. 19. 19. dict. tit.* Omnia in pristinum statum revocantur ac si alienatio facta non esset, Lauterb. *h. t. Vinn. ad §. 7. f. de action. n. 8.* & restituere quis debet, quod sibi retinuit, si ad alios pertinet *c. ad aures 3. X. d. excess. pralat.* neque in foro conscientiae tutus esse potest, nisi ablatum restituatur *c. super 2. X. d. rapt. cap. peccatum 4. R. f.*

TANTUM!



AB: 153 7 19

ULB Halle 3  
003 025 845




R


Vb 17











12

*Xild*  
C. D.

DE

FEUDIFICATIONE  
IN  
FRAUDEM CREDITORUM  
FACTA

PRÆSIDE

PETRO MÜLLERO, Jcto

Pandectar. Profefs. Ordin.

*ad d. Maj. 1687.*

disputabit

A U T O R

JOHANNES ELIAS Sieboldt /

Francohusanus.

Jenæ, Literis Bauhoferianis.

